



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Edvardvs M. 18. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

GERTRVDIS pro scuto fuit, merfitq;
subitò, quod navim jam mergere vide-
batur, monstrum. Iam diem ultimum,
quem quidem ut nuptialē GERTRV-
DIS amavit, monachus illi prädixit.
Vltanus, comneatum è cælo D. Patri-
tium, & beatos Angelos sponndit.
Virtutis odorem etiam à morte tum-
ba, quam longè antè fieri ipsa manda-
verat, suavissimum spiravit. Ipsa, ne vi-
vere etiam mortuam dubitares, diver-
sorum oculis se objecit cælesti luce cir-
cumfusa. Visa etiam ignes grassantes à
monasterio illo velo avertere, quo im-
puras olim flammæ suffocaverat. Tam
facilè etiam indomitum Vulcanum est
vincere illi, qui Venerem vicit. *Ex Sur.*

S. EDVARDVS M. 18. Martii.

SVstulerat Edgarus Angliæ Rex bi-
suos filios: ex Elfedâ, lectissimâ ma-
tronâ, EDVARDVM nostrum: ex El-
fridâ improbissimâ muliere, Ethelredû.
Illi utpote natu majori regnum Edga-
rus, & quæ major regno hereditas est,
virtutem reliquit. Non hanc, sed illud
invidit noverca improba, & quò pur-
puram Ethelredo suo pingeret, sangui-
nem statuit EDVARDI fundere, quin
si fieri aliter jam non posset, cum dia-
demate caput auferre. Commodum
impiis consiliis accidit, ut quarto regni
sui anno illuc venaretur EDVARDVS,

L ubi

ubi pessima fera noverca stabulabatur. Nimirum hæc venatori laqueos ponit, rogat tectis hospes filius succedat. Abnuentem, haustum certè è manibus parentis accipiat, obtestatur. Heu! ut nunquam magis odit noverca, quam dum amat! Dum bibit, subornatus ad scelus servulus, cultro necem domino fert, vinumque sanguine miscuit; corpus exanime in proximâ casâ occultatum: sed scelus Elfridæ unaque virtutem EDVARDI prodidit etiam in nocte lux insolita, casam omnè illustrans, lucemque adeo mulierculæ inhabitantis oculis ferens, quam nunquam prius videre. Iterum in paludes abjectum cælum ostendit indice columnâ igneâ. Ergo extractum omni que honore tumulatum Martyris corpus fontem prope dedit, ex quo passim sanitatem agri bibebant. Noverca etiam veniam oratura illuc contendit, sed neque eques, neque pedes progredi unquam potuit, semper vi, nescio quâ, arcanâ repulsa. Dixisses neque supplicii novercæ jam manes fidere. *Ex Surio.*

S. IOSEPHVS SPONSVS B. M. V.
19. Martii.

Compendium laudum IOSEPHI dederò, si cõvixisse IESV & MARIAE dixerò; huic Sponsum integerrimum, illi nutritorem sedulum. Arcanorum
ergo